

1. Tim. 3. v. 3.

Concil. Tol. 3.

Quartam in Ecclesia beneficium debent expendere.

Cap. Placuit 10. q. 3.

Cap. Vnio ibid.

Aſſertio II. circa oblationes Vbi de iis, quae causa mortis sunt, tantum debent Quarta.

Cap. Conquerente, de Officio Ordin.

Specialis Gelasii Conſtitutio circa illas.

Recensentur nonnulla, ex quibus solvi debet, ex Cap. Cum inter vos.

lesti lumine perfusus admonuit, dum sic iunxit: Non litigiosum, non cupidum. satis indicans illud se praecipue damnare litigium, quod solet cupiditas excitare. Vnde Concilij tertij Tolctani Cap. 20. feruida illa monitio: Ne videamus in Ecclesia Dei exactores potius quam Pontifices nominari. Sic Concilium, & habetur Cap. Quia agnouimus 10. q. 3. Quibus addendum, etiam si Praelatis, quidquid hac in parte expetunt, concedatur; quia sic lus ipsis videtur indulgere; iuxta ipsius tamen Iuris dispositionem, si diuites sint, vel alias habeant ex fructibus dignitatis congruam sustentationem, id quod ex quarta accipiunt, debere in Ecclesiae beneficium expendere. Sic habetur in Cap. Placuit, citata quae 3. in quo ex Concilio Bracharenſi secundo Cap. 2. ita scribitur: Placuit ut nullus Episcoporum per suam diuersionem praeter honorem Cathedrae suae, id est, duos solidos, aliud aliquid per Ecclesiam tollat: neque tertiam partem ex quacumque oblatione populi Ecclesiae Parochialibus facta sibi usurpet; sed Ecclesiae reparationi seruetur, & singulis annis Episcopo ratio fiat: nisi si tertiam partem illam Episcopus tollat, lumen & sartatecta abſulerit Ecclesiae. Haec ibi. Quibus similia extant in Cap. Priscis, & in Cap. Vnio, sic ex Conc. Toletano subditur: Vnio nostrae Congregationis decreuit atque instituit, ut tertias, quas antiqui Canonice de Parochijs suis habere Episcopi consueverunt, si eas exigendas crediderint, ab ipsis Episcopis diruta Ecclesiae reparentur, &c.

Circa oblationes Resoluto postrema.

Dico vndecimò & vltimò. Id quod dictum est de quarta funerali, non est ab oblationes, quae causa mortis non fiunt, extendendum. Id probat ex Cap. Conquerente, de Officio Ordinarij, vbi Honorius III. iura Episcopalia determinans, & ea, quae in contributionibus consistunt, definiens, sic ait: Synodatus, seu Cathedralis nomine duos solidos; Quartam decimationum, & mortuorum, visitationem quoque annuam. Sic ibi. Quibus Pontifex obligationem illam sustulit, quae à Gelasio Papa erat imposita circa oblationes, de quo in Cap. Nec numerus 10. q. 3. & in Cap. Eleutherius 18. quae 2. dum statuit ut circa hoc seruetur pactio & consuetudo, quoad quotam scilicet, & ut illa designetur ex conuentione aut consuetudine, nihil certum haberi potest: & ut sublatam non velimus, sed in suo robore persistentem, illa certe moderationem habet singularem, dum sic ibi Pontifex: Nec illa pars oblationum omnium generaliter intelligenda est, sed vel annuariae Dedicacionis, vel quorundam etiam solemnium dierum: prout inter Episcopum & sacerdotem tempore Dedicacionis conuenit. Haec ille. Iuxta quae, vbi nihil est in Dedicacione conuentum, ei vltus Episcopus renuntiasse. Quod si successores sibi non potuisse incommodare contenderint, constituant dies, sed cum moderatione praedicta, inde, quod obuenerit, habituri.

Neque obstat quod habetur in Cap. Cum inter vos, de verb. Significat. Vbi multa recensentur oblationum genera, ex quibus Honorius, qui & auctor Cap. Conquerente, solui iubet Canonice portionem, videlicet ex ijs, quae in cimiterijs ponuntur; quod de altarij suscipit (Sacerdos) & facti per Ecclesiam deportari, & quae ante Crucem, & in Missa Trinitatis, & ea, quae pro desponsatis dan-

tur, & lampades cum oleo, quae praedicta Capellae (S. Hilarij) ab aliquibus offeruntur, vel quae dantur nuntio, qui ad recipienda taxa per praefata Capellae Parochiam destinatur. Non inquam obstat, quia ibi plus quam quadragenaria consuetudo inualuerat, ad quam Pontifex respectum habuit, ut ostendimus numer. 32. & 33. Neque nos vim negamus consuetudinis rationabilis, & legitime praescribere, si conditiones eas habeat, de quibus numer. 24. & seqq. Concilium etiam Limense tertium Act. 4. Cap. 20. Quartam Oblationum soluendam statuit: sed non urget contra dicta, cum id velit tantummodo solui, quod iuxta Iuris dispositionem debetur, & modo, quem sacri Canonice statuerunt, quae sunt illius verba. Facit pro Aſſertione Minorensis Episcopus Zerola in Praxi, verb. Legatum num. 3. vbi sic concludit: Quarta Parochialis non debetur nisi de his, quae obuenerunt ratione funeris, & de legatis omnibus factis Ecclesiae apud quam desinens elegit sepulturam. Haec ille. Sicut ergo Ecclesiae non debetur, cui magis est Parochus obſtrictus, ita neque Episcopo. Vnde iuxta Iuris Canonice dispositionem, Parocho intestato decedenti non succedit Episcopus, sed Ecclesia, cuius habuerat administrationem. Cap. Dilectus, de Success. ab intestato. Concilium etiam Tridentinum, vbi Quartam meminit, solius funeralis fecit mentionem, ut videri specialiter potest Sessio 25. Cap. 13. de Reformat. Quomodo autem oblationes debeantur Episcopo celebranti in quacumque Parochia, non autem in loco exempto, nisi ex vrbannitate, videri potest apud Barboſam Allegat. 80. numer. 11. & seqq. & haec pro quarta à Parochis debita sit satis arguisse, non Hispanorum tantum, sed Indorum etiam applicanda, ad quos operae pretium est ut iam tandem tranſeamus.

CAPVT II.

Circa Indorum Parochos nonnulla percurruntur.

Longiore pro illis non atroximus discussionem, quia in superioribus est praemissa, vnde satis erit, quae sunt dicta, nonnullis additis, reficere. Pro illis ergo

Dico primò. Futuri Indorum Parochi Indice linguae debent habere peritiam, & ea destituti grauius peccant, dum tale munus assumunt, sicut qui illos approbant, praesentant, aut Canonice instituunt. Videantur circa hoc dicta Cap. praeced. §. 1. & Titulo 13. numer. 67. Circa quod his diebus grauis concertatio extitit. Cum enim Capitulum Ecclesiae Tuxillensis, Sede vacante, tres à se probatos ad Proregem, Patronatum Regium exercentem, ut iuxta morem eorum vnum eligeret pro Indica Parochia remisisset; & non contemnendis relationibus illos peritiam linguae sufficientem non habere renuntiatum Proregi fuisset; vti minus legitima nominatio ad praedictum est Capitulum reuoluta, ut rem attentius & legalius expediret. Pro quo cum competens temporis spatium suo arbitrio designasset, nouo facto examine, iidem sunt nominati, & ad Proregem nominatio destinata. Sed frustra: nam relatio-

Sed non esse generalem decisionem ostenditur.

Concil. Lim. 3.

Zerola.

Aſſertio 1. circa linguae Indica peritiam in Parochis necessaria.

Casus specialis circa illa non annuente Prorege iudicio Capituli, & ad examen nominatos conpellent.

relatione aliquorum de insufficientia praefata, non est ad praesentationem progressus factus, sed notificatum illis ut comparerent coram Prorege ipso examen subituri. Sic factum, & iudicium Capituli praesentatione ipsa comprobatur. Quod cum in oppositione alia similiter factum esset, iudicium Capituli minus est legitimum deprehensum, & nominatus ante alios inuentus est minus habens, sicut & secundum locum tenens, & solus postremus praeter commune expectationem, Beneficiu est ob peritiam linguae, & alia congrua morum & doctrinae ornamenta consecutus. Quod cum sic factum sit, & zelus debuisset sic agentis commendari, an tamen secundum scientiam fuerit, dubitarunt multi, alij apertius inficiant. Vnde enim Patrono potestas talis, cuius sola partes in praesentatione sunt positae, cum examen, & alia consequentia, ad ius Praelati spectent, & negotium merè spirituale sit, cui nequit nisi violatis legibus laica se potestas immiscere? Cum ex vi iuris patronatus, non concessio, sed praesentatio pertineat ad Patronum: quae sunt verba Gregorij Noni in Cap. Transmissa, de iure patronatus, vbi Glossa sic ait: nota ergo vim & potestatem, quam habet Patronus Solum praesentationem; vnde nil aliud sibi vendicare debet. Sic illa. Et est haec communissima doctrina Iuris auctoritate firmata, de qua nequit dubitari. Si praeterea addamus quae Concilium Tridentinum Sessio 24. Cap. 18. de Reformat. circa examen eorum qui ad Parochiales Ecclesias sunt assumendi, disponit: debent enim esse in eo examinatores Synodales, qui cum Episcopo, aut eo impedito, cum ipsius Vicario concurrant. Quae & obseruanda exactissime in prouisionibus Indiarum Regio edicto cauetur, cuius tenorem adducit Dom. Solorzanus Tomo 2. Lib. 3. Cap. 15. numer. 14. & in Politica pag. 624. Videnda etiam Cardinalium declaratio infra numer. 8. per quam omne aliud examen remouetur, etiam si ad illud cumulatim dicatur haberi ex immemorabili consuetudine. Et quid ad haec Patronus, & ab eodem Examinatores designari, nec pro linguae peritia tantum, sed etiam pro doctrina?

Non approbatur factum.

Cap. Transmissa, de iure patr. Glossa. Patroni potestas circa solum praesentationem.

Minime ad Examinatores.

Ex ordinario praesentandi modo roboratur.

Congregatio Cardinalium.

latio sit illis concessa, non debent circa examen partem vllam sibi vendicare: cum tamen Praelati Ecclesiastici sint, & videatur Iuri & rationi consentaneum ut collaturus Beneficiu, per examen agnoscat illo esse dignum eum, cui est ab ipso conferendum. Quid ergo de Patrono laico est aequum censendum, qui & ob statum, & Pontificiam indulgentiam, minori est praeditus facultate?

Præterquam quod iudicio Ordinarij circa sufficientiam eorum, qui praemisso examine eliguntur, omnino standum est, quando nullus est, qui de tali iudicio appellet ob praetermissionem suam, cum notorie dignior sit: tunc enim appellationis recursus conceditur à Pio V. in Bulla publicata Kalendis Aprilis 1567. Pro quo extant Declarationes Cardinalium plures, quae videri in recollectione & recognitione citata possunt. Vnde vnus aut alterius dicto standum non est, sed actus iuridicus, vbi praesertim doctrina, & timorata conscientia Ordinarij suffragantur. Cap. Lugdunensis 9. quae 2. & Cap. Nisi essent, de Praebendis, ibi: nisi essent viri prouidi & honesti. Et Vbi Doctores. Et hoc quidem in casu nostro effectus comprobant: nominatus enim primo loco à Capitulo est à Prorege praesentatus, ex quo apparuit transuersales delationes veritatis fuisse praesidio destitutas. Quod si in secundo casu secus euenit, ad id quidem responderi potest ex doctrina sacrae Rorae, quam amplectitur Barboſa Allegat. 60. num. 91. §. In prouisionibus, vbi statuit cum in prouisione Curati Beneficij per Sedem Apostolicam additur; Si per diligentem examinationem per te adhibitis Examinatoribus in Synodo Diocesana deputatis, ad hoc idoneum esse repereris, super quo conscientiam tuam omeramus: ea clausula non obstante, non esse nouum examen necessarium, si prouisus iam prius exat examinatus: satis enim per illud dispositio Pontificis adimpletur. Pro quo bonos textus & Auctores adducit. Nec enim debet prouisus casuali conditioni cum periculo amissionis exponi, aut nouum iudicium, quod mutabile est, saepe subire. Idoneus enim casu (verba illius sunt) ut puta memoria labente, vel Praesulis, & Examinatorum aspectu perterritus, desicere potest in examine; sine tanquam dependens etiam ab arbitrio & iudicio Ordinarij; vel Examinatorum. Iuxta quae sic etiam accidere potuit in casu nostro. Et ut reuera ita sit, quod minus sufficiens extiterit, id non est tanta considerationis, ut propter vnum aut alterum contingens, modus debeat receptus, & Superiorum Ordinationibus constitutus, dum nihil euidentis in contrarium occurrerit, variari. Neque Patroni conscientia ex eo grauat, dum iuri se Indiarum, satis prouide disposito, cum euitatione turbatum, quas nouitas excitare solet, accommodat: cum timere potius debeat, ne, dum sacris se plus iusto intrudit, lepram aliquam non facile medicabilem patiat.

Si communis equidem praesentandi modus esset, & Prorex nullam praecedente Episcopi, aut Capituli nominatione, aliquem aut aliquos deberet praesentare, non liceret ipsi ad examen vocare, sed informatione de idoneitate praemissa, praesentatio ab ipso fieri debuisset. Cum enim Regi in praesentatione nihil tale in usu sit, & id Ecclesiae consuetudo non ferat, non debet Prorex plus sibi eius generis adrogare. Ex eo autem quod nominatio in Indijs Ordinarij praecedat, non plus potestatis substituto Patroni confertur, quia nullum amplioris huius licentiae extat fundamentum. Cum Parochialis collatio ex privilegio ad aliquem Abbatem, vel quempiam alium interiore pertinet, declarauit sacra Congregatio Cardinalium, ut videri potest in earum vltima Recognitione circa citatum Caput Tridentini. §. Quoties aliquis, Collatores tales nihil quoad examen posse illis verbis: neque Abbas eam ob causam vllum examinis edictum proponere potest, neque illius officij partem vllam attingere: sed id totum pertinet ad Ordinarium. Et. Idque ea ratione; quia cum sola col-

Pro resolutione autem praedicta motiere potuit nescio quod Proregis alterius exemplar. Sed exemplaria huiusmodi non talia esse solent, qualia illa, de quibus Apostolus Hebraeor. 9. v. 24. scilicet: Exemplaria verorum: in quibus scilicet

Vegetur ex eo quod Ordinarij iudicio standum sit.

Cap. Nisi essent de Praebendis.

Notanda doctrina pro repetitione examinationis eiusdem.

Barboſa.

Exemplar circa idem non bene allegari.



veritatis, iustitiae, & aequitatis respectus reperitur. Et quae talia non sunt, trahi non debent in exemplum. *L. Quod contra rationem D. de regulis iuris.* Pro quo & regula iuris 64. in Sexto, quae sic habet: *Quae contra ius sunt, debent vique pro infectis haberi.* Non ergo ut exemplaria proponenda, de quo & dictum Titulo 3. num. 92. Potuit etiam Vicaria potestas allegari eius, quae in Regibus nostris est, pro iis disponendis, quae ad Indorum conversionem, & stabilendam in Indis Christianam religionem spectant. Quae quidem videtur vltus gloriae memoriae Philippus Tertius, dum modum obseruandum in Prouincionibus Indicorum Beneficiorum praescripsit die 4. Aprilis 1609. de quo num. 43. nullam specialis alicuius Pontificij Indulti faciens mentionem. Sed hoc quidem non solidum firmamentum est. Quidquid enim de Regibus nostris fit, de quo dictum alias, Proregibus certe sunt fines praescripti, quos ultra citraque nequit consistere recti cura ministerij. Et cum negotium adeo periculosum sit, non est haec amplianda, sed cum omni moderatione tractanda potestas. Quod quidem generaliter de Proregibus loquendo verum habet, ut ostendit Dom. Solorzanus supra Lib. 2. Cap. 11. num. 15. & 16. Vbi quod clausula *Cum libera* in mandatis a Rege, Proregibus datis, limitationem habet ex forma praescripta.

47. Quod autem in causis, de quibus agimus, id maxime verum sit, eiusdem est verbis exornandum, dum citato Cap. 15. num. 46. & sequ. ita scribit: *Si causa, & causarum cognitio desideratur, iam apparet quam sit a Iuris Canonici principis alienum, quod Prorex, & alij Gubernatores, quantum Regum Patronatum exercent, se (etiam simul cum Praelatis) his causis immisceant, a quibus laici omnino abstinere debent.* Cap. Decernimus, cum vulgat, de Indicijs & quidem sub Censuris Bullae Canon. Domini. 5. 9. & 10. & Concilium Tridentinum Sessione 24. de Reformat. Cap. 18. quod solum Patronus laicis personam Beneficij praesentare permittit: ceterum eius examen visitationem, & correctionem, Praelato dumtaxat relinquit, vtpote soli, & vero iudici Clerici. Haec ille: cuius postrema verba vim specialem pro casu nostro praesferunt. Nam examinatio actus veri iudicis est, ut praebula ad sententiam iudicalem de sufficientia, quam Examinatores non ferunt, licet iudicium suum circa eandem interponant. Ex quo fit Patrono non posse vltatenus conuenire. Pro quo tandem rogo, cum auditis Examinatoribus a se designatis Prorex ad praesentationem procedit, virtute cuius examinis id praestat? Si prioris illius coram Ordinario: ergo illud sufficiens fuit: si posterioris, non est seruata in illo forma Concilij Tridentini citato Cap. 18. Non ergo legitime prius illud est reiectum, & ad aliud prouocatum. Et certe non videtur dici posse vti prioris praesentationem fieri, de cuius legitimitate fuerit Prorex certioratus; nam haec mera verba sunt, cum constet examen ad habendam certitudinem sufficientiae prout ordinari: atqui Prorex ratione secundae examinis tantum est certioratus de sufficientia, de qua se penitus incertum fatebatur: ergo vti illius fit praesentatio. Et Examinatores quidem in secundo examine iudicium suum proferentes, non aiunt legitime prius examen fuisse peractum,

Neque potestatem in Indis ex concessione Pontificum

Proregum potestatem quos habeat limitet.

Illustratur & arguetur praesentatio Dom. Solorzani doctrina.

Dilemma fortissimum.

sed sufficientem esse examinatum. Illis enim constare nequit de prioris examinis legitimitate, quia accedere potuit ut iam examinati, & minus sufficientes, non legitime approbati, scientes postea se iterum ab Examinatoribus per Proregem designandis, fore examinandos, studium auxerint, & sufficientiam fuerint consecuti. Quod neque suffragari in causa praesenti potest, quia habitas debet inspicere de tempore primi examinis, ex Rotae & alijs ab eadem citatis in Decisione quadam ex nouioribus 15. Nouemb. 1649. 5. Non vrges, apud Dianam Parte 10.

48. In casibus ergo similibus poterit Prorex praesentationem differre, & Ordinarium mone- re ut videat si quidquam fuerit in nominatione commissum, vnde offensio aliquorum, de qua ipsi constat, fuerit excitata. Illo autem legitime omnia peracta rescribente, & in priori peristente iudicio, annuendum quidem, quidquid vnus aut alter contradicat. Nam & Examinatores alij possunt esse contrarij, & Capitulares item: quorum tamen iudicio non statuit, si maior pars oppositori suffragetur. Immo plus aliquid sacra Congregatio censuit, ut refert Garcia de Beneficijs Parte 9. Cap. 2. num. 109. Cum enim rogatum esset, *An si pluribus examinatis, aliqui ultra dimidiam partem fuerint consecuti, & sic approbati, vnus autem omnia suffragia prospera reportari: Episcopus facta per Examinatores relatione posset, postposito alio, in quem omnia suffragia confluxerunt, vnus ex eis eligere, qui ultra dimidiam partem vocum habuerunt, cum omnes approbati dicantur? Congregatio respondit posse.* Hinc constat Capitulari, qui in contraria sententia fuit, non esse credendum, neque Examinatori, & multo minus iis, qui extra conclauem examinis fuerunt, qui passione multoties, non zeli puritate, ducuntur, aut rem non habent penitus exploratam. Quia vero aliquando contingere potest, ut de indignitate alicuius Proregi constet, circa quam Ordinarius ignorantia laborauerit, reijcere eum poterit, & in loco secundo aut tertio nominatum praefere: immo & tenebitur sic facere, etiam si Ordinarius iudicet expedire, ut talis ex vno Beneficio, in quo periculosè versatur, debeat transferri ad aliud. Praesentatio enim indigni iniqua est absolute loquendo: quod si alias remotio expediat, remoueatur vique, sed non promoueatur, qui culpa sua Praeceptorum odium prouocavit. Et ita nuper accidit Excellentissimo D. Comiti de Alba de Aliste post doctorum virorum consultationem quemdam primo loco nominatum ab Illustrissimo Limano Archiepiscopo semel iterum repellente. Pro quo haec satis.

49. Dico secundò. Parochi Indorum debent illis praedicare, iuxta dicta. n. 3. & 4. Dico tertio. Parochi Indorum peccant graui- ter, dum illos in diebus festiuis ad oblationes compellunt. De hoc dictum Titulo 12. num. 463. & 469. Vbi etiam de obligatione restitutionis videatur etiam Dom. Solorzanus Tomo 2. Lib. 3. Cap. 15. num. 92. & in Politica pag. 633. Col. 1.

Dico quartò. Parochi Indorum, dum decimarum partem non accipiunt, non teneantur ad restitutionem ex Officij diuini omnia recitatione. Constat ex dictis num. 15. & seqq. Quia verò iam est pro Iadis a Regio Concilio sententia pronun-

Quid in casibus similibus faciendum.

Congregationis Cardinalium notanda responsio.

Poste aliquando Proregem iudicio Ordinarij non stare.

Affertio 2. Praedican- dum Indis

Affertio 3. Non ex- torquendas oblationes.

Affertio 4. Parochos non teneri ad restitu- tionem ex officij omi- tiata,

fiata, vt non debeant speciale tributum pro sustentatione Parochorum soluere, & decimas pariter, sed vnum aut alterum: quod si obligentur ad decimas, inde eorum Parochos suam debere accipere portionem: rebus sic stantibus obligatio restitutionis erit, iuxta eam proportionem, quae loco est citat. demonstrata. Vide Tit. seqq. num. 18.

Dico quintò. Parochi Indorum nequeunt cum illis, aut per illos, contractionem lucrosam exercere. Pro hoc videnda, quae ex professo diximus Titulo 9. n. 151. & seqq.

50. Dico sextò. Parochi Indorum ad illa omnia tenentur, quae Parochis communia sunt, de quibus Cap. praeced. §. 2. Cum enim veri Parochi sint, & ipsi hoc frequenter inculcent ad iura Parochialia exigenda, non debent se in odiosis, si tamen verè odiosa sunt, ad obligationes scilicet, eo quòd Indorum sint, semiparochos tantum aestimare. Alia pro eisdem videnda Titulo 13. n. 4. & seqq.

Dico septimò. Parochi Indorum tenentur Rituali vti Pauli V. vbi eius esse copia potest. Videantur dicta num. 19. Dixi eius haberi copia potest, quia haec quandoque non extat, immò neque aliorum, ex quibus Mexicanum quoddam solet esse frequentius, quo vti licebit, quia sic est multorum vsu receptum. Et ita statuit Synodus Diocesana Limentis Libr. 1. Titulo 5. Cap. 17. vbi vsum Toletani praescribit, & in eius defectu, Mexicani, quia tunc temporis Romanum nondum fuerat euulgatum. In forma quidem Extreme Vnctionis aliquis solet esse diuersitas, sed quae ad substantiam non spectat. Vt verò in hoc & in alijs, quae ad Sacramentorum administrationem pertinent, omnimoda conformitas esse possit, facile erit Parocho ad aliquem in ciuitate residentem scribere, vt ex Rituali Romano ea fideliter depromat, quae maioris momenti sunt: quod & Parochus ipse facere poterit in Ciuitatem veniens, vt saepe accidit. Et cum hoc facile fieri possit, & res non exigui momenti sit, non videtur vacare culpa id facere praetermittens, quia modus administrandi Sacramenta ab Ecclesia praescriptus, non est alligatus litteris Typographia expressis, quandoquidem res ipsa, non modus litterarum imperatur.

51. Dico octauò. Parochi Indorum graui- ter peccare possunt, si se erga illos asperos & seueros exhibeant. Pro quo militat, quae Titulo 7. num. 6. diximus de Commendatarijs Indorum loquentes, id enim in Parochis locum habet potitorem. Et ratio est manifesta, timiditate eorum ac pusillanimitate perspecta. Quomodo enim ad illos confidenter accedent confessuri peccata, & animarum remedium inter diaboli frequentia tentamenta quaesituri? Quae de causa, vt diximus Titulo 2. num. 442. casus omnes ad forum Pœnitentiae spectantes concessi sunt cunctis Indorù Confessarijs a Concilio Limentis Tertio eadem reddente rationem, imbecillitatis inquam eorum, & spiritualis sensus inopiae. Sed extat magis speciale circa hoc eiusdem Concilij Decretum A. 3. Cap. 3. vbi si habetur: *Porro Parochis, ceterisque Ecclesiasticis ministris seridè praecipit, vt Pastores se meminerint, non percussores, & tamquam filios Christiana charitatis sinu Indos foueant & por-*

Affertio 5. Non posse contraſerre.

Affertio 6. Teneri ad omnia Parochis communia.

Affertio 7. Et ad v- sulum Rituali Pauli V.

Affertio 8. Et vt aspe- re Indos non tra- ſeant.

Vide etiam Tit. II. n. 2.

Concilium Lim. 5.

sent. Quod si quisquam percussendo, maledicendo, aut alias quoquo modo Indum aliquem laeserint, Episcopi ac Visitatores seuerè admodum & inquirant & vindicent. Profectò enim turpissimum est. Dei Ministros in sacris satellites verti. Sic Concilium: cuius & circa idem Decretum, habetur aliud A. 4. Cap. 8. vt Parochi per se ipsos non cedant aut puniant illos. Videndum illud, est enim quod legatur dignissimum.

Dico nonò. Parochi Indorum circa vestium, decentiam debent suo statui congruentem obseruare: iuxta dicta Titulo 14. n. 21. & seqq.

Dico decimò. Parochi Indorum exemplo vitae debent illis singulariter praelucere, quia cum de conversione eorum agatur, & firmamento fidei in illis statuendo, cum Christianae perfectionis auctario, quidquid scandalizare eos potest, generalem ruinam loco aedificationis inducit. De hoc dictum Titulo 13. num. 65. Et consulenda praecipue quae dicta sunt Titulo 1. Cap. 3. vbi de qualitatibus Ministrorum Indicorum.

Dico vndecimò. Parochi Indorum sub reatu lethalis culpae tenentur illos ad Eucharistiae susceptionem disponere, & eam ipsis suo tempore ministrare. Pro quo sunt Auctores, quos adducit Dom. Solorzanus Cap. 15. citato, num. 95. & in Politica supra Col. 2. Et illis addendus Ferdinandus Zurita in Enchiridio Indico Quaest. 3. Et videri possunt quae diximus Titulo 12. n. 443. & seqq. vbi de hoc actum ex professo. Sunt etiam pro eodem grauiissima Concilij Limentis tertij Decreta A. 2. Cap. 19. & 20. quorum prius allegat Dom. Solorzanus, in quo de tradendo Viatico agitur, qui & secundum de Paschali Communionem poterat etiam allegare. Circa vtrumque autem, quae ibidem diximus consulenda, vbi Parochorum obligatio satis demonstrata. Vide etiam inferius num. 78. Iam ergo ad alia, pro quibus sit

CAPVT III.

Parochis Indorum vt sit prohibita co- habitatio foeminarum, & obseruanda circa illam.

52. Dicitur de hoc Titulo 14. num. 15. & Concilij seqq. vbi Concilij Limentis tertij grauiissimum Decretum adductum, cuius tamen hoc loco circa cohabitationem huiusmodi peculiaris prohibitio discutienda. Sic er- go A. 3. Cap. 19. in fine habetur: *Sed neque inueniuntur Indas ad seruitia domestica, sine perpetuo sine etiam per vices alternantes, tenere vlla ratione permittantur: sed aut famulatu virorum, aut, si opus erit, mulierum satis aetate prouectarum seruitio utantur.* Sic ibi. In quo quidem Concilium Sacrorum Canonum est instituta securum. Nam Cap. In- hibendum, quod est primum de Cohabitatione Clericorum, ita dicitur: *Inhibendum est vt nullus sacerdos femi- nas, de quibus suspicio potest esse, retineat. Sed neque illas quas Canones concedunt, matrem, amitam, & sororem: quia instigante diabolo & in illis seclus per- petratum reperitur, aut etiam in pedisequis earumdem.* Sic ibi. Et Cap. A nobis, eodem Titulo, ita dicitur: *Cum Clericus quoque non permittas mulierculas habitare,*

Affertio 9. Circa vs- tibus de- centiam.

Affertio 10. De vita exemplo.

Affertio 11. De grati obligatione disponendi indos ad Eucharis- tiam.

Alia Sa- crorum Canonum. Cap. Inhi- bendum, de cohabi- tate.